# AD LIVONES

Rdissimi IN CHRISTO PATRIS ET D.

## D. IOANNIS DEMETRII SOLIKOWSKI,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, Archiepiscopi Leopolien. & R. P. ac M. D. Lithvaniæ, in Liuonia, cum aliis Collegis, Generalis Cõmissarii:

## Paterna & amica Parænesis.



Zamość
dr. akad.
1600

# AD LIVONES

R^mi IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI

## D. IOAN. DEMETRII SOLIKOWSKI,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

Archiepiſcopi Leopolienſis, &c.

## Paterna & amica Parænesis.

QVÆ MEA IN TE, ô RIGA, Liuoniæ gemmula, officia fuerint; qui amor, quæ beneuolentia, quod ſtudium erga vos meum, ô Cis & Trãſdunani nobiliſsimi viri Liuones; puto vos non ignorare: commemorare ſanè, exprobrare eſſet: præſertim cùm & vos ipſi abũdè recognoſcatis, & ita ametis; vt ternis iam Comitiis regni, eius rei non vulgare ſpecimen oſtenderitis. Etenim me hominem iam ingraueſcentis ætatis, è longiſſimè à vobis diſſita Ruſsia, ad munus Commiſſarij generalis, vnà cum alijs præſtantibus è Senatu & Equeſtri ordine viris, à S.Rege, & ordinibus,

nibus, impetratum ad vos extraxiſtis: & quantum de me ſentiatis, toti Reipub. ſatis oſtendiſtis. Porro, ſi veſtra vos de me opinio non fefellit antè: puto & nunc hac Commiſſione & functione noſtra, id nos aſſecutos eſſe; vt nihil beneuolentiæ, æquitatis, & integritatis, in nobis deſiderare iure poſſe videamini. Et tu quidē Riga, mater Liuoniæ, ſemper Regno & Reipub. fida: poſt illa ſplendida priuilegia, quæ à glorioſo Rege Stephano, cuius memoria in benedictione ſit, & à Republ. in Comitijs confirmata obtinueras, pro quibus in fidem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lituaniæ, erecto nobis throno, qui locum Regium tenebamus, iureiurando te dederas: quid putas? quanto tibi amore deuincti fuerimus? quantam curam tui, apud Regem & Rempub. totam egerimus? Et cùm iterum cum illo eodem Rege, apud te eſſemus, & poſtea ab eo cum Illuſt: Radiuilo, tunc Vilnen. locum tenente eius digniſs: nunc Cracouien: Epiſcopo ac Cardinali S. Sedis Apoſtolicæ pijſſimo, ac Senatore Regni primario, cum Erneſto Weiero, patre & præfe-


præfecto militum antiquo eſſemus relicti; nonné tibi erga te, erga vos omnes incolas Liuoniæ, noſtra patuerunt officia, pietas, miſeratio? Quæ, quàm grata vobis fuerint; teſtatur dolor ille veſter, teſtatæ ſunt lachrymæ, cùm me poſt ſpē aliquā remāſionis meæ perpetuæ in Liuonia à Rege Stephano factam, à vobis abſtrahi, & in Ruſſiam transferri videretis. Et quis tum nouit ſenſum Domini? cur ita factum ſit? Nunc poſt annum decimumſeptimū, quippe iam annum agentē Sexageſimum, an vel otij vel ſpatiandi, vel alicuius priuatæ rei cauſa, me, cùm hora me mortis & ſepulchri quotidie fere admoneat, miſſum, ad vos veniſſe exiſtimabitis? non equidē arbitror. Igitur cogitabitis potius, me veſtri amore, & iuuandi ſtudio, hoc tantum iter ſuſcepiſſe; & Regi meo, cuius clemens & paternus in vos eſt animus, parendo; & ſtudiis ac deſideriis veſtris ſatisfaciendo, ad vos veniſſe; vt quanto minus mihi reſtaret vitæ, tāto magis feſtinarem, de vobis, veſtraq; ſalute, ac ſtatu vniuerſo, ad Dei gloriam & laudem bene mereri? Siq; iam

 aut

aut præſtetur, aut præſtitum ſit aliquid, cum hoc, qui iam diutius expectatus adeſt, Illuſtri & optimo Leone Sapieha, Cancellario Lituaniæ, & aliis Collegis præſtantibus, quos nobis Rex & Reſpu. adiunxit. Inprimis Deo præpotenti, tandem Sereniſ. Regi noſtro, ac ordinibus, acceptũ feratis, cenſeo. Deinde pro me nihil aliud à vobis expecto, quàm vt me, à vobis ad propria reuerti volentẽ, & paucis vobiſcum & amanter agẽtem; & patienter tolleretis, & beneuolè audiatis; ac eadem qua ego ago charitate, ſuſcipiatis, ſenſuq́; imo reponatis. Ecce iam benedictus Deus, vos & prouĩtiam veſtram ad meliorem ſtatũ & ordinẽ reduxit. Ecce ex ſalebris illis turbationum & tempeſtatum veſtrarum, vos ad aliquẽ portum adduxit. Quid illud eſt, quod fecit? hominem exteriorem curauit. Quid? hominem à Ieruſalem Iericho euntẽ, e manibus latronum eripuit, & plagas eius infuſo vino, rigoris, & oleo miſerationis, curauit. Eumq́; ſtabulario comendauit: id eſt, ordinem, iuſtitiam, & gubernationis formam; vt honeſtè & pacifice viuatis, vobis



vobis inſtituit, & oſtendit: vt vos omnes Liuoniæ incolæ, mutuo vos ametis, mutuis officijs vos iuuetis: cõmunibus, & cõiunctis officijs, & viribus, aduerſus omnes hoſtes veſtros, & quãvis inimicam barbariem vos tueamini: iunctis animis, tanquam vna matre prognati, veſtrum honorem, ſalutem & fortunas propugnetis. Sentitisné, quid dicam? Enimuero & ſentitis, & ſentire debetis: non ſentire enim morbum, mortis ſenſus & interitus ſignum eſt. Sentite iam, & erigite aurem, ac exporrigite frontem. Quid Liuonia ante 400 annos fuerit, non ignoratis. Quanta incolarum barbaries, ſcitis. In quàm tetris ignorantiæ Dei tenebris, & idolorum fœdis cultibus delituerint, non neſcitis. Miſertus donec fons miſerationum omnium Deus, per certa media, & homines à ſe ſubmiſſos, nempe ſacerdotem piiſſimũ Beatum Meinardũ, cum negotiatoribus Germaniȩ piiſsimis, Euangelij ſui lumẽ in his partibus accendit. Quæ poſtmodum inter perſecutiones, bella & cruces, operâ, poſt fundatorum præſulum, latius ac clarius,

us, inter primum babtisatas tandem aliquoties relapsas gentes, maximaq; cura, insulsit, & cõfirmata vires sumpsit, & altius radices egit. Vnde non solũ Sedis Apostolicę facultate cum Archiepiscopo Rigen: complures Episcopi, sed etiam tum florens ordo Cruciferorum, prælia Domini præliando, multùm adiumenti rebus Christianis attulit. Sic igitur firmatis rebus, & ad perfectionẽ adductis, quã fælix & beatus tum fuit Liuonię status? Si pietatem spectetis, quid ea ardentiùs ac sinceriùs? si concordiam, quid ea pulchriùs? si potẽtiam, quid ea admirabiliùs? si opes, quid iis copiosiùs? si successus, bella, victorias; quid iis ad omnẽ hominũ memoriam illustriùs? Inserte oculos in Ecclesias, templa, Monasteria, Xenodochia, arces, vrbes, ciuitates, oppida; quid iis splendidiùs, pulchriùs, munitiùs? si copiam rerũ ad uictũ necessariarũ, quid ad omnẽ vsum accomodatiùs, fæcundiùs, abundãtiùs? Et hæc quidẽ omnia, quid aliud adduxit, auxit, locupletauit: quàm Sancta Christi Iesu, dei & Saluatoris nostri religio? Quid ad

sum-



cum penultimo Archiepiscopo disidiis, Vilhelmum Marchionem Brandeburgensem eius in Archiepiscopatu successorem, vnà cum eius coadiutore Christophoro Duce Megapolen: Sigismundi Augusti Regis Poloniæ consobrinum capit: ac obtruncato regis nuncio, ita in temeritate perstat; vt Archiepiscopum cum coadiutore, non nisi armis Regiis adactus dimiserit. Paulò pòst & Moschus, Ioannes Basilides, Tyrãnus, sed suorũ rituum tenax, ob violata populi sui templa, quæ Derpati, Felini, & alibi, ex fœdere habebat, irritatus, in Liuoniam adducit truculentas, & feroces copias: Derpatum, Felinum, Neihausum, Laisum, Oberpalum, Pernauiam, Albumlapidem, & cæteras munitiones, vsque ad Reualiam, alterum Liuoniæ ocellum, tunc modo non erutum, vastat, capit, occupat. Tum & Fridericus II. Danorum Rex, haud imprudens, vt se onere leuaret, Magnum Fratrem Holsatię Ducem, in Liuoniam aut submittit, aut dimittit, cum quo non melius affectam se sensit Liuonia: nec mora, & Ericus xiiii. Succiæ Rex, Esto-



niam

niam iam Regi Polono deuotam, & cum tota Transdunana parte, ab vltimo Magistro dimissam inuadit, ac Reualiæ se inserit. Tot iam in dominos discerpta Liuonia, ipsi inter se incolæ cõfligunt: inq; diuersas partes corpus matris suæ pulcherrimum concerpunt. O miram rerum omnium metamorphosim! ô multum distantem antitesim! Simul enim atq; timor Dei exclusus, contemptum sacrorum inuexit, & cælibi vitæ nuptiæ propter votum illicitæ successerunt; omnia susque deque ferri cœperunt. Simul atque ab vnitate religionis discessum est, vnitas, fœderum & pacis, inter indigenas sublata est. Et mutuo amori odia; concordiæ discordia; paci bella; ordini confusio; opibus congestis, & in omnem Reipub. necessitatem paratis, direptiones; direptionibus egestas:(nam quis nunc quàm antè ditior? nisi forte qui nihil antè habuit?) fortitudini imbecillitas; magnis animis pusillanimitas; pauores, fugæ, transfugia, nusquam tuta fides, successerunt. Quin etiam cùm domini vestri, Archiepiscopus, & Magister, rebus suis diffidentes


fidentes,ad Sigismundum Augustum principem mitissimum, & patientiss. etiam hortatu fel. recor. Ferdinandi Imp. prudentissimi, pro remedio rebus afferendo confugerent: Id ita, vt campsores solent inter negociantes, agebant: vt interea alios principes, Moschum etiã ipsum, altero pede tentârint, & postremò ita sibi attraxerint; vt Magister Vilhelmus Firstenbergus in Moschouiam abductus, miseram ibi vitam finierit. Et Archiepiscopus Vilhelmus, nõ multò pòst dolore contabuerit. Quàm rectius & prudentius egissent: si vterque in sua vocatione, constanter perseuerassent: et Magister Archiepiscopo, et Archiepiscopus Ecclesiæ Christi, auscultassẽt, salui omnes hactenus & florentes fuissent. Video Rumburgi, Episcoporum, Archiepiscoporumq; Rigensiũ imagines. Videtis õnes, quibus lubet, & vtinam ita oculis videatis, vt & ad mentem reuocetis. Cernitis õnes præcessores, in humili & sacro habitu, sine armis, statũ suum & vestrũ fœlicẽ conseruâsse. statim vt vnus, infula deposita, induit thoracẽ ferreum,& galea tectus apparuit:

ruit: & manũ enſi appoſuit, & ſibi & vobis nocumentum attulit, & ſua & veſtra, & ſe ipſum iit perditum. Et ſic clerus ille leuiſsimus, vnà cum populo, à via Dei depulſus, & vxoribus ductis, ex ſacro ſtatu in profanum conuerſus; dum carnem & ferrum contrectant, vnà cum dominis ſuis, & nobiliſsimis, ac locupletiſsimis quibusq; vno ferè impulſu corruerunt: & omnes, pauciſsimis elapſis, vna ruina oppreſsi iacent. Et putabitis quenquam ſupereſse, quem hęc flama, ſi non totum conſumpſerit, at vel ambuſserit, vel grauiter aduſserit? Sentitis né eã adhuc, an nõ? An expectatis, vt Deus clamet é cælo, vt olim per prophetam: Percuſsi eos, & non doluerũt: flagellaui, & non ſenſerunt? Cum nonnullis veſtrũ viris bonis, & mihi amicis, de huius calamitatis veſtrę cauſis, amicè ſæpius egi. Et quoties adhuc agere me contingit, proximas illi allegãt, nẽpe quòd inter ſe diſsentirent. At ego Originales quæro: quid illud ſit, quod eos ex cõcordibus diſsidẽtes fecerit? Quid? niſi relicta primæua, & noua ſuperinducta religio. Solẽt & illi, qui olim electus Dei



ſummũ faſtigium erexit? eadem religio. Quid apud Pont. Maximos, apud Cæſares, reges ac Principes Chriſtianos, ad tantum decus ac exiſtimationẽ extulit; vt inter clariſſimas orbis chriſtiani prouincias, Liuoniæ Prouincia, cenſeretur, amaretur, honoraretur? religio. quid propugnatoribus fidei, militibus crucis Chriſti, ac virginis matris eius benedictæ, tantum in animo roboris, tantum bellicæ virtutis, contra innumerabiles hoſtium phalanges, & in rebus geſtis gloriæ & victoriarum contulit; nonné religio? Hęc illos fortiſſimis Machabęis ſimiles efficiebat: hæc ad arma promptos; hęc mortis contemptores; hæc vitæ æternæ, ſpreta hac breui, & fragili appetentes; hæc domi iucundos, foris terribiles; hæc domi oues, foris leones, reddebat. Quæ virtus hæc, quæ vis intus agens? quis calor tantus præcordia vrgens, & inflamans? nonné quia Chriſtum Dominum regem æternæ gloriæ, & ſummam virtutem, ac ſapientiam Dei patris, ex intimis præcordiis, ob crucem & mortem, pro ſalute hominum ſuſceptam, dilexerunt?

lexerunt? quia eius honorem & gloriam, ſuæ propriæ ſaluti antepoſuerunt; quia pro eius Euangelii ſancti dilatatione,& pro ſaluãdis cœcis gentibus, prælia domini gefferunt: hinc eſt, quòd tot Eccleſias ædificarunt: tot Epiſcopatus, parochias, ex occupatis terris, fundârunt, ac locupletârunt. Et vt, ne illos hæc cæleſtia pabula vnquam deficerent,à S. Sedis Romanæ Antiſtitibus,ea rata eſſe,& benedictione Apoſtolica confirmari, Deoque ac cultibus eius in ſempiternum dicari & conſecrari petierunt. O beatam illam Liuoniæ ſortem,cùm pro vita æterna,altera manu, domos Dei, tanquam fortiſs: illi Iſraelitæ conſtruebant; altera hoſtiles impetus,& arma, & omnes inuidentis Sathanæ inſultus, repellebant. Magna laus Bertoldi, qui Meinardo ſucceſſerat, & pro fide ſancta Ieſu Chriſti occubuerat. Magna Alberti eiuſdem ſucceſſoris,ac eius ſucceſſorum,quam apud Deum & homines, multis ſuis præclare geſtis nacti ſunt. Magna Magiſtrorum Ordinis, à Vimione Rolquino, & cæteris deuotiſs. & fortiſs. viris, vſque ad Plettem-

bergium,



bergium, meritorum gloria; qui hanc ipſam Liuoniam, à Danis, Suecis, Moſchis, Lithuanis,ac ipſa gentilitate Liuoniæ, fortiſſimè tutati, religionem Chriſti in tota hac Prouincia, & animosè dilatârunt, & fortiter propugnârunt, ac conſeruârunt. Atollite oculos & aſpicite,ac vobiſcum perpendite, ſi tam adhuc mirandum, quod videndum reſtat, cadauer, quale, & quàm ſpectatu dignum fuerit, ipſum viuum & vitale corpus Liuoniæ? Si ea rudera eccleſiarum, templorum, arcium, ciuitatum, oppidorum, admirabundi ſuſpicitis; quæ nihil,niſi ruinæ ſunt ſquallentiſsimæ: quale id totum,cùm in flore eſſet,fuerit,nõ eſt difficilè æſtimare. O magnã Chriſtianæ religionis vim! ô ſingularem Catholicæ deuotionis potentiam! ô ineffabilem virtutum chriſtianarum omnia ſuperantem virtutem! Et vnus quidem Archiepiſcopus Rigenſis, cui, ac Epiſcopis eius,vt quietè paſcerent populum Dei, Ordo fratrũ Crucigerorũ fortiſſimus,regula,obſequio, precibus, & gladio ſubſeruiebant, tantus habitus eſt apud omnes; vt quatuor Liuoniæ, tribus



Pruſſiæ

Prussiæ Episcopis præesset: & inter præcipuos ecclesiæ Dei proceres, Magister verò ordinis, inter principes Germaniæ censeretur. Et hæc quidem omnia, tam diu cum summi Dei benedictione, pleno copiæ cornu, hominibus illis, tam sacri quàm militaris ordinis, contingebant, certaque & tuta manebant; donec dilectus ille Dei populus, post euoluta illa, vt pietatis, sic felicitatis suæ tempora, à Deo sic dilatatus, impinguatus, incrassatus, oblitus Dei creatoris sui, recalcitrauit, & dereliquit Deum: & recedens à Deo salutari suo, abiit post desideria cordis sui: & carnis voluntatem implens, è peregrina religionis innouatione, aliũde, in Liuoniam, vt morbo quodam pestifero, admissa; dum ea quæ diuini iuris erant, ad humanos detrahunt vsus, primùm ad simultates, indè ad contẽtiones, postremò ad bella tristissima, prò dolor, deuenerunt: sic, & quod fuit publicum & Reipub. destinatũ, in priuatorum abusus transiit, & iam nec Deo, nec patriæ quicquam relictum. Vilhelmus enim Firstenbergus Ordinis Magister, inchoatis

cum



Dei populus fuerunt, nunc autem abominatio mundi, gens Iudæorũ; cur sic per orbem totum sparsi & disiecti pasim appareant; non legẽ, non templum, non Prophetam, non Regem propriũ, non sacrificium vllum habeãt, respondere: Deũ sibi, suisq; peccatis iratũ esse. Quę autem illa peccata sint, non exprimunt. Et profectò, non aliud vllum maius, quàm quod dominus Saluator lachrymans, eorum Metropoli prædixerat, quòd nõ cognouerit tempus visitationis suæ, & quòd, vt cælestis Euangelista ait, sui eum nõ receperint: & vt Apostolus, quòd dominum gloriæ crucifixerint. Ita & quidam vestrum, dum omnia allegant: & non tam Moschum, Danum, Magnum, Suecum, quàm Polonum, (quàm iustè autem, iam iudicauit Deus) accusant, tanquam sibi prę-clare conscii. (sed vos omnia nostis.) omnia potius dicere solent: quàm vt agnoscant, se hæc omnia mala, & ruinas, non prius sibi accersisse, quàm dulce iugum Domini, ac ecclesiam paternè secum agentẽ, & in rebus salutis ordinẽ dantem, excussissent, & ab illius obedientia recessissent,



sent,

ſent, hoc enim facto, fluxa multorum in politia quoq;fides,omniũ autem vna,& varia quidẽ calamitas eſſe cœpit. Quid? putatis me cum propheta,nomine Dei,in malis veſtris ridere,aut ſarcaſmi amaritudine,in vos vti? Non vtor,mei fratres,non. Imo verò,cùm vos aſpicio, veſtramq́; ſortem conſidero,& nunc hæc ſcribens, lachrymas tenere non poſſum. Et non ſolùm lachrymis,& compasſionibus,ac cooperationibus meis;verùmetiam ſanguine meo,vos à malis hiſce, eripere vellẽ perlubenter:precibus quidem indignis,miſericordẽ Deum aſſiduè oro; vt veſtri miſereatur, & peccata veſtra vobis indulgeat, ac à pœnis peccatis debitis vos eruat. Non laboro odio reformationis: ſi modò ea reformatio ſit, & non deformatio,deſolatio,& licentia,ac corruptio morum:non me trahit vlla paſſio,non vrit indignatio: non vincendi ardor, nõ diuitiarũ appetitus: nec enim vel apud vos, vel alibi talia concupiui. Dicam cum Apoſtolo: Vtinã abſcindantur, qui vos primùm conturbârunt, qui hãc peſtẽ inter vos immiſerũt,qui illud mel veſtrum felle



felle inſperſerunt,& vos venenis ſuis infecerunt: qui etiam nunc veſtrę ſalutis,nec curam habẽt, nec morbos veſtros ſanare volunt,aut poſſunt: qui etiam vobis,& nunc fortaſſe,ita blandiũtur; vt vos mulcendo,& palpãdo,ſolo pruritu externę cutis,in morbis his vos leniant; ſed morbum non tollant, nec morti occurrant. Lęthargo nil dulcius,ſed nil ętiã lethalius. A quo qui auocat, excitat, amicus eſt; qui permittit, reliquit, hoſtis eſt, non amicus, non medicus. Stulta mater illa,quę puerum, ne ſe periculo capitis aut phręneſis obiiciat,nihil diſcere eũ vult, aut permittit. Atq; vt ne & ipſi quoq; in idem ſaxum inpingamus,dum ſaltem querimur,deploramus,lamentamur: & non etiam remedia adhibemus. Ecce ea vobis exhibemus, & quidem non ſpecioſa, vel fuco aſperſa; ſed vera, legitima, certa, & ſalutifera. Quęro tamen prius à vobis, idq́; diuina illa querela permotus; dum de populo ſuo dicit: Sanabam illos,& illi reſpuebant: Quęrebã eos, & nolebãt venire: Trahebam,& illi renuebant: Conuertebam me ad eos, & illi mihi dorſum



ſum

ſum vertebant. Quæro igitur, ô mei Liuones, à vobis, vultiſné perfectè ſani eſſe? Enimuero volumus. Sumite remedium, & pharmacum vitale. At fortè amarum eſt? at aliter plenè ſani eſſe non poteſtis. Vultis eſſe, ſicut nũc fuiſtis? Nolumus. Vultis ſic eſſe, ſicut ante fuiſtis? etiam nolumus. Cur? quia duros dominos reminiſcimur; quia liberi eſſe volumus. Liberi? & ego vobiſcum. At legum ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. At libertas vera, ſpiritus eſt: Carnis verò libertas, licentia eſt, occaſio peccati, triſtis ſeruitus. Si illã vultis, rectè habet, perfectè valebitis: nunquã enim Chriſtus dominus, quẽ in corpore ſanauit, ſine ſalute animę dimiſit: nã pretium pars hęc, vt ait poëta, corpore maius habet. & ipſe dominus ſanguinem ſuum primariè pro animabus noſtris fudit. Si hanc: falſa eſt, mendax, vana, ac exitioſa. Audiamus Apoſtolum: Manifeſta ſunt opera carnis, quorũ finis mors; manifeſta ſpiritus, quorum finis, vita æterna. Sed non omnes obediũt Euangelio, non omnes audiunt Dominum: quomodo enim audient, ſine prędicante? quomodo



do verò prędicabũt, niſi mittantur? Miſſio, miſſio, mei Liuonienſes, legitimos facit prædicãtes: nemo enim ſeipsũ mittit, ſed ab alio mitti oportet. Et Dominus dicit: Sicut me miſit pater, ita ego mitto vos: qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Et: Petre amas me plus iis: tu ſcis, ait ille, quia amo te. Paſce oues meas, paſce agnos meos, paſce oues meas: Oraui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu conuerſus confirma fratres tuos. Tibi dabo claues regni cælorũ, quicquid ſolueris aut ligaueris in terra, erit in cęlis ſolutũ aut ligatum. Sed vos, cùm hęc auditis à me, vel quod ſcribo legitis; quàm vereor, ne pueris, vel mulierculis, ſimiles ſitis: hoc enim genus hominum, dum ęgrotat; ſanitatem quidem deſiderant, ſed medicis & pharmacis iraſcuntur: & facilius anubus ſtultulis, & blandulis acquieſcunt; quàm peritis medicis, fidelibus conſiliariis. Inde tot ſtudia, quot ſentẽtię: quot capita, tot ſenſus: aliis hoc, aliis aliud placet: etiam in exterioribus ſimul interiora, vt ſcopę diſſolutæ fatiſcunt. Ego verò ſic arbitror. Præſentem rerum, quem apud

vos inuenimus ſtatum laudare, pręſumptionem & ſtuporem eſſe nonnihil correctum prorſus reprehendere, & alium etiã appetere, ingratitudinem & ſtulticiam, cùm vt aiunt, nec alibi vituli mulſam bibant. Circumſpicite omnes & õnia in orbe Chriſtiano, quis iam eſt cõtentus? Si vultis igitur, & vos aliquid aliud? Si antiqua nimis? gẽtilitas fuit. Si media? Chriſtianitas Catholica. Si proxima, & cùm rueret alto à culmine Troia, ſcitis quibus buccinis? ſcio multos veſtrum, qui meliora Deum precentur. Nam quoties eorum quę acciderũt, memoriam refricant, toties totis animis & corporibus cohorreſcunt. Nõ ego ea refrico, ne vobis dolorem renouem. Ac qui magna ex parte earum rerũ autores & fabri, quia & viri non obſcuri ſunt, & ſoboles eorum, melius de patria mereri poterũt, nõ tango: vt quid enim etiam vlcus tãgatur, ſi præterita corrigi nõ poſſunt? nec mihi natura mea, aut educatio, aut mores mei id dederũt; vt cum quoquã acerbè agere didicerim: nec quidq̃; ſuſpicari aut ominari placet. Relinquimus hoc opus anxiis, & male ſibi cõ ſciis



ſciis conſcientiis, & bubonibus infauſtis: nec in quoquã ſeueritatis exẽpla relinquere placuit. Potius, ſi quid peccatũ a quoquã fuit, cum Deo noluimus mortẽ peccatoris; ſed magis vt cõuertatur & viuat: Conuertatur inquam, & conuertãtur, ſi qui adhuc aliqui tales reliqui ſunt: nam multos iam abſumpſit hoſtilis gladius, infortunia, mortes, cędes, & egeſtas, pœnæ eorum, qui nõ ſatis feliciter patrię ſuę ſeruierũt; ſupra quorũ inhumata corpora flendũ potius eſt, quàm inſultandũ. Conuertantur igitur, inquam, & doleant, & finem iam errandi faciãt, & poſteritati ſuæ, vt ſaniora conſilia ſequantur, feriò præcipiant, & authores ſint. Nimis me, fateor, vobis aperio: ſed hoc nimius meus erga vos amor facit, & dilectio; vt ita vos ſaluos & ſanos eſſe cupiam; vt ne in poſterum, vel cicatrix vlla, vulnerum præteritorum, reliqua fiat, ſed omnis occaſio refricationis amputetur. Et hoc illud eſt: quod à vobis quærebam, num profectò ſani velitis eſſe? & quòd id vobis faueã, & quòd vera remedia vobis oſtendam. Redeo igitur vnde digreſſus ſum, & puto vtiliter. Ac quæro, quid vobis deeſt? &

quid in statu vestro desideratis? num hæc iniuria vestra est, quòd sanguine Polonico & Lituanico, Liuonia recuperata & restituta est, quàm cuiusquam alius armis? Vos, qui bellis Stephani interfuistis, vidistis, probâstis, laudâstis: Nos etiam, qui aliquam partem horum vidimus: & hos vidimus & noueramus, qui & quomodo adfuerunt. Quid igitur vobis durum in Regibus Polonis, quibus nihil mitiùs, nihil meliùs, nihil clementiùs? Quippe sciunt illi, se liberis populis imperare; & vnâ legum cathena, cum subditis constringi: & nemo Tyrannus esse potest, vbi potentia Regis non stabilitur armis, sed fide & beneuolentia ciuium. Quòdsi sine dominio velitis esse, vt Veneti, & Heluetii: ô quàm perperam, & sine consilio! Etenim & illis est sua dominatio, & his Magistratus, spreta vel coęquata nobilitate: & omnis magistratus aut est hęreditarius, aut electiuus: hęreditarium etiam vos vix detrectare iure possetis, qui Clero, & Magistris ordinis, sub sedis Apostolicę dispositione paruistis. Electiui autem dulcedinem, iam nobiscum degustare incipitis.





Et dum libertatem apud Polonos & Lituanos florentē aspicitis, cuius vos participes factos esse agnoscitis, nullam Tyrannidem amplius reformidatis. Certè non est vlla hæc tyrannis, sed libertas, vbi nihil statuitur, aut decernitur; nisi omnium consensu scitum, susceptum, & approbatum: vbi nulla tributa, exactiones, thelonea, nisi in Comitiis Regni decreta & impetrata: vbi nemo capitur, nemo bonis multatur, nisi iure victus: vbi nobilitatis tantum decus est; vt qui non rerum omnium, aut vitę deniq; ipsius iacturam, honori postponat, non censeatur inter nobiles. Et licèt multoties libertas, non paruam occasionem licentiæ præbeat; tamen nemo reperitur in libertate ingenuè natus; quin virtutem amet, illiq; faueat, vitia persequatur, & damnet; non secus, ac si iudex & vindex ad id designatus fuerit. Igitur plus reformidant dedecus, quàm supplicia, etiam audaculi, quorū, vt hac corruptione seculi, dum soli Deo, & non etiam sacerdoti, confiteri se malle videri volunt, auctior est numerus; ita auctiores sunt, & frequentiores etiam pœnæ.

Adæquata nihilominus sic rerum omnium proportio est; vt neq; Regi tyranno eſse liceat, neq; ſubditi eis etiam, ſi qui non ſatis ſemper ad amuſſim perfecti, rebelles eſse poſſint, aut velint. hinc eſt quòd Poloni reges ſuos, parentum inſtar habeant: Reges etiam, ſubditos ſuos, vt filios ſuos, ament. Quid igitur reſtat? hoc vt vobis oſtendam, me vobis Germanis in Liuonia, haud ſecus atq; Polonis, Lituanisq; ipſis, & ſanguini proprio veram libertatem, pacem, ordinem bonum, & ſtatum quàm optimum, cupere, optare, & fauere; vt iis, qui iam fratres noſtri eſtis, qui vnius corporis membra, vnius regis ſubditi. Ecce iam ſanus factus es, dixit Saluator paralytico, noli iam amplius peccare, ne tibi quid grauius contingat. Ait & medicus corporalis: Ecce iam febre liberatus es: habe igitur rationem tui, crudis abſtine, diætam ſerua, fuge nocentia, ſerua temperãtiam, ne recidiuam habeas, ne tibi denuò periculum, ne mortem accerſas. Ita & ego dico vobis, ô Liuones, ô Ciues vnius Ciuitatis ac Reipu. huius chariſsimi: Ecce iam curati eſtis: Ecce ordinem





dinem inſtitutum, Senatores, Conſiliarios, & Officiales à Rege benigniſsimo vobis datos: ecce iudices & ſubſellia, noſtra libertate vobiſcũ cõmunicata, à vobis electos, & ius à vobis, nobis ſuffragantibus, & iuuantibus, conſcriptum & ſcitũ. En iura & priuilegia veſtra iam reuiſa: non vt debiliora ſint vobis, ſed certiora. En ad dignitates & officia õnia pariter cum Polonis, & Lituanis, admiſsi eſtis. En vobis ita omnia ſalua, vt plus quàm vnquam anteà, vobis omnia luculentiora, honeſtiora, & ãpliora obtigerint. En purgata area, triticum, à palea mundatum: Aurum à ſcoria liberatum: ventilabrum amplius nullũ, aut ſi quod relictũ, in manu veſtra, & legũ veſtrarum repoſitũ eſt. Nolite fratres mei ãplius peccare: nolite in mutua viſcera, ac in vosipſos, amplius ſæuire: Nolite mei fratres, nolite fidem Catholicam, ac eius conſeruatricem eccleſiam, quę vos nobilitauit, ditauit, ornauit, & in perfecto libertatis ſtatu collocauit, in odium & inuidiam adducere: & quæ etiamnum vobiſcum maternè agit, veſtris etiam moribus, & inſtitutis indul-

get, ac ea tolerat, & vobis quam optimè cupit, vestræq; saluti vt mater fidelissima fauet: eam ne sinatis eo loco apud vos haberi, atq; si exilium, infamiam, & contumelias commeruerit. Habetis Regem Catholicum; vt omnes ante eum Poloniȩ Reges fuerunt: Senatum, ordines, & totũ Regnum Catholicũ, vt & vos paulò antè fuistis. Ideo etiam in Interregnis bene ad concordiã, & salutaria consilia dispositum. Et quoscunq; vnquã in Repub. nostra, de vobis ac fortunis vestris bene meritos esse profitemini, an non Catholici sunt semper & fuerunt? O quam iniquè cum iis, à quibus libertatẽ conscientiȩ impetrâstis, agere videremini, si quod vobis per eos licet, ipsis per vos inter vos non liceat? Cauete obsecro, cauete mei fratres; ne sic agendo, iniustos vos, ac per hoc Deo ac hominibus molestos reddatis: & ne dicat olim Deus: Serue nequam, totum debitũ dimisi tibi, tu autẽ conserui tui, non es misertus. & ne meritò ob hanc talem mentem, psaltes super vos & terram vestram iterũ inclamet: Quia calix in manu Domini plenus misto, & inclina-





uit ex hoc in hoc: verùmtamen fex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ. Non opto: quin imò deprecór, ne id fiat. Neq; vobis è monumentis excitatos, dominos vestros Archiepiscopos, Episcopos, & Magistros, imò auos & proauos vestros, in theatrum produco; ne vobis eorum conspectu terrorem incutiam: qui, si nũc coram vobis starent, quibus verbis vos compellarent, quæ vobis beneficia sua exprobrarent, quomodo vos arguerent, & quid in vobis requirerent, quàm grauiter vobiscum expostularent; vobis cogitandum ac perpendendum relinquo. Inclinat Dominus ex hoc in hoc. Inclinat, inquã, nunc huc nunc illuc; nunc sub hos, nunc sub alios dominos; & fex tamen non est exinanita: nusquam enim pax, semel loco deturbatis, nunquã benè, qui semel perfectè pessum abierunt. atque vtinam iam sit tandem finis, operà, medio, ac effectu, huius præsentis functionis ac commissionis nostræ. Si igitur nos non amatis; at ne odio etiam prosequamini. Si matrem non honoratis; at ne diffamari eam permittatis. Si non alitis, at

ne vitam ei eripiatis: ſeruate pacem, more regni, in quo etiam non deeſt varietas religionis: ſitis concordes, vel ſaltem eo modo, quo elementa inter ſe, alterum cum altero ſymmetriam conſeruantia, ſicut pares cum paribus, ſicut partes anni, ſicut filij cum patribus, ſicut iuniores cum ſenioribus, ſicut anima cum corpore, ſicut ſpiritus cum carne, ſicut vnius corporis membra. Amate Germani Polonos & Lituanos: nam pro vobis plurimum ſui ſanguinis profuderunt. Amate & vos Poloni & Lituani Germanos Liuoniæ incolas, & totam gentem eius: nam multis vobis diſpēdiis, multo ſanguine conſtant: charior eſt matri ſoboles, quàm triſtiùs enixa eſt. Ne feratis ægrius, & vos, quibus aratum ſeminatum, & ſudatum eſt, ſi aliquid præmij milites & propugnatores veſtri habeant. Imò non ſolum non fertis, ſed etiam ipſi querimini, quòd apud vos ſedes fixas non habeant: quòd præter præfecturas, nihil hęreditario iure à Repub. adhuc obtineant. Mutuis ſtudiis & officiis, conſeruator charitas ciuium, alitur, dilatatur. Vobis nihil decedit: His nihil adhuc



adhuc acceſſit. Benemeriti ſunt: & præmia condigna vbi ſunt? vobis omnia veſtra integra ſunt, non ſolùm ijs, qui caſtra regis fortiſſimi Stephani ſecuti eſtis, ſed etiam, qui tunc peregrè, vel ſtudii vel periculi euitandi cauſa, in tenera ætate, abfuiſtis. Etſi de rege, de Repub. de patria, bene mereri curabitis, & Rex & Reſpub: & patria veſtra profectò veſtri rationem habitura eſt ſemper. Et cùm tum fraterno amore, & conuictu, tum affinitatibus mutuis, in vnam gentem coalueritis; eoſdem amicos, eoſdem hoſtes, communia cōmoda, communes, & iunctas vires, aduerſus omnes aduerſarios & incomoda veſtra tollenda, titulos, & ornamenta omnia communia habebitis. Et patriam, & Rempub: ſic ſalubriter inſtitutam, & mutuis ſtudiis conſeruatam, poſteritati veſtrę ſartam tectam relinquetis. Et iam non deſiderabitis, vel aliū ſtatum veſtrum, vel aliam ſortem vnquā. Atq; hoc illud primum eſt, quod ſalutē vobis partam, certam, & confirmatam vobis reddet. Alterum verò, quod compendio exponā: & ſicut ad eſſe veſtrum, tāquam bene eſſe adijciam.

iiciam. Scitis profectò Religione Christiana, illustratam, dilatatam, & ditatam esse Liuoniam. Et nemo negat etiam Magistrorum vestrorum, vt vt sua causa vobis applaudentes subticescāt, quos tamen ego & amo, & saluos esse Deum oro, & vt diligētius scripturas legant, & discant, & Sanctorum patrum, ac Sacrorum Canonum scripta & volumina, tàm Occidentalis, quàm Orientalis Ecclesiæ euoluant, hortor & opto. Quàm præclarè igitur multa vestri domini priores, Archiepiscopi, Episcopi, Magistri, & vtiliter fecerunt, quòd tot Ecclesias, Monasteria, claustra, arces ædificarunt: tàm hoc satis imprudenter, & inopia boni consilii, quòd Gymnasia, scholas, aut Academias nullas erexerint aut fundârint. Quæ cùm deessent, & in solis armis spem omnem felicitatis & ornamentorum suorum reponerent, cùm nullæ adessent literæ, nulli viri docti, nulli Ciuilis Iuris, & politiorum literarum scientia periti, vis illa & potentia immensa, consilii expers mole sua corruit: cùm furores exortos, nemo esset, qui consilio ac prudentia regeret, nemo qui exem-



exemplis antiquis, quibus abundant omnium temporum annales, mitigaret ac compesceret, & flāmas exsurgentes, superinfusis salutaribus consiliorum, mansuetudinis & prudentiæ, aquis extingueret. Ingenuas enim didicisse fideliter artes, ait Poëta, emollit mores, nec sinit esse feros. Ferocitas est sanè & feritas: & syluestris quædam viuendi ratio, vbi sine scientia bonarum artium & literarum viuitur: vbi, nobiliores præsertim, nihil à vulgo subditorum distant: vbi, qui ad regimen aliorum, & officia gerēda adhibendi sunt, natiua tantum lingua contenti, nec iuris, nec sermonis Latini aut Græci vlla cognitione præditi sunt, & semper interpretibus indigent. Quòd si nobilitas Equestris ordo est: & equitem esse, nō est peditem non esse: sed, equis rectè & ritè, ad tuendam patriam, cùm vsus postulat, vti, & in artibus militaribus versatum ac peritum esse: deberet profectò, vt exercitio militari; ita scientia rerum ab aliis præclarè gestarum, & notitia historiarum esse exculta & instructa. Videtis doctißimum & fortißimum virum Ioannem Samoscium,

moſcium, Reipub. noſtræ ſummum Cancellarium, ac exercituum Ducem. Is ita Mineruam cum Marte coniunxit, vt in vtroque genere & feliciſſimus & excellentiſſimus habeatur: vtque eę ſcientiæ, quibus nihil patriæ vtiliùs & ſalutariùs eſt, in ordinem equeſtrem & militarem latiùs dimanent. Gymnaſium ipſe & ſcholas nobiles erexit, ac fundauit: quas Pontifex Max. & Rex noſter Academiæ titulis & priuilegiis ornârunt. Videtis iam quantum fructus ex hac inſtitutione viri prudentiſſimi, patria referat; cùm eius cognatos, amicos, domeſticos, familiares, commilitones: cùm Staniſlaum Zolkieuium, Caſtellanum Leopolien: campiductorem regni vigilantiſsimum, & virum circumſpectiſs. & cordatiſsimum, conſideratis. Cùm Ioannem Felicem Herburtum iuuenem, ingenio, literis, facundia ornatiſs. cùm alios innumerabiles, animis, robore, vſu armorum, & militari ſcientia exercitatiſsimos intuemini. Vnde hoc Samoſcius accepit? primùm à maioribus ſuis, quibus hoc innatum probè fuit. Deinde ab ingenio ſuo, ad magna nato, quòd ille

cum


cum varia & multiplici doctrina, & ſingulari ſcientia, in clariſs. orbis Academiis exornatum, cùm ad arma contuliſſet, ſub Rege Stephano, ſempiterna memoria digna, quippe qui & doctrina & bellicis artibus fuit clariſsimus; ita feliciter ea tractauit, vt breui ipſe ſummus Imp. & Dux belli fortunatiſſimus eſſet, & à præmendo Moſcho non deſiſteret, donec Liuoniam hanc totam relinquere cogeretur. Taceo & alia eius geſta: ſcitis omnes, amici & hoſtes. Sumpſit & aliud ab eodem Stephano, nempè hęc duo præcipua, quę ego, vt Epiſcopus, potiore loco repono. Quòd Rex ille non minus pius quàm doctus, primùm erga Deum, victoriarum illarum largitorem, gratum ſe exhibens, in locis compluribus, & eccleſias conſtruxit ac fundàuit, & in vſum Catholicũ quæ iam fœditate equorum Moſchicorum, ob pœnam defectionis ab obedientia religionis Catholicæ, diuinitus permiſſa horrebant, reſtituit. Deinde Scholas & Gymnaſia, viris piis & doctis Societatis IESV inſtructas, inſtituendæ iuuentutis cauſa, præſertim Polotii, Rigæ, Derpati erexit,


inſtau-

instaurauit, & fundauit: Vt vobis ſanè beneface-ret, vos ornaret, veſtræ ac poſterorum veſtrorum ſaluti, moribus, & fortunis veſtris quàmoptimè conſuleret. Fecerat hoc & antea Vilnæ, Metropoli Lituaniæ, licèt tunc non agnoſcentibus ſua bona agricolis: & perfecerat, poſtquàm primo congreſſu Polotiam recuperauerat, & in Socolo, clariſs. omnes Moſchi duces ceperat. Vidi nunc huc ad vos veniens, & quidem magna cum animi voluptate, vidi vberrimos Academiæ Lituanicæ fructus; cùm nobiliſsimos procerum filios, cum ſingulari indole, voce, geſtu, Græca, Latina, proſa, verſu dexterrima & ſuauiſſima pronunciatione declamantes: & velut è Parnaſſo demiſſas Muſas cantillantes, audirē & contemplarer. Habebit & habet iam Soror noſtra Lituania; tot Radiuilos, Sapiehas, Chodkieuicios, Doroſtaiſcios, Kiskas, Volouicios, Moniuidos, Voinas, Pacios, Chalecios: Præſules, Senatores, Palatinos, Caſtellanos, belli Duces, Cancellarios, Vicecancellarios, Marſchalcos, Iudices, Officiales præſtantes; quibus non erat par prior ætas; qui iam in plures

ramu-



ramuſculos, pullulantes, patriam ſuam & Rempub. noſtram communem, in dies florentiorem, & beatiorem reddent. Vidimus iam ſimilia Derpati: vidimus Rigæ. Nonnè & hoc exemplum is, quem dixi, Samoſcius noſter feliciter ſecutus? Quę beneficia talium verè diuinitus datorum virorum, qui vel non intelligat, vel quod peius eſſet, cùm eadem in patria ſua vbertim ſibi collata videat, ingrato animo accipiat: aut, quod peſsimum, ſugillet, repræhendat, perſequatur, vti his rebus prohibeat: nonnè helleboro dignum caput cenſebitur? Pueri dum à parentibus ad ſcholas mittuntur, plorare ſolent, & ſcholas, & literas, & præceptores oderunt. Videte oro, Germani Liuones, ne illis ſimiles videamini; ſi & Magiſtratum vobis bene cupientem, & patres veſtros, & præceptores veſtros, ac liberorum veſtrorum doctores, ductoreſque, ad bona veſtra, veſtros odio proſequamini. Ne ingrati erga Deum ipſum velitis eſſe, qui vos per Stephanum Regem è ſeruitute tyrannica liberatos, etiam è ſeruitute ignorantiæ, & barbariei, & variorum errorum, vt ve-

 rè

rè liberi esse discatis, & sciatis vos hoc etiam saluberrimo & paterno modo iuuandos putauit. O magnam inconsiderantiam vestram, si hoc non videatis, non agnoscatis, magnam ingratitudinem: si quod gratiis prosequendum, odiis prosequamini. Quid? iniurios hos tales institutores, & fundatos præceptores, in vos esse putatis? Imò verò benefactores vestros, & studio, & oratione, & charitate etiam inter iniurias, reputare debetis. Literas igitur bonas, ac earum professores vobis commendo, vt pater, vt amicus, vt frater vester; vt iam non parum expertus, quantum terris, prouinciis, & ciuitatibus magnis obfuerit, iis aut caruisse, aut eas neglexisse. Habetis iam vestræ gentis sanguinis, nationis, & linguarum peritissimum Episcopum optimum, & Senatorē prouinciç primarium, Otthonem Schenkingum, virum prudentem, ac rebus vestris accomodum: habetis Illustriss. & optimæ indolis Principes, Curlandiæ & Semigalliæ Regum ac Reipub. beneficiis deuinctos Duces, Fridericum & Vilhelmum fratres amabiles: Gothardi primi

Ducis,



Ducis, viri alioquin Regi & regno addictiss. & fidelissimos filios. Habetis Palatinos more regni, Castellanos, Succamerarios, Capitaneos, Vexilliferos, Iudices, Subiudices, Notarios Terrestres, Burgrabios, ac cæteros regios Officiales. Quis iam vestrum non sit contentus præstante milite, ac cohortium Regiarum summo Duce ac præfecto optimo ac fidelissimo, Georgio Farensbachio, Palatino Venden? Is enim ob virtutes suas singulares, & bonitatem, & fidem non minus Polonis & Lituanis, quàm vobis omnibus est, & meritò esse debet, charissimus. Quis ignorat virum fortem, & de Liuonia præclarè meritum, MathiamDembinscium, toties pro vobis, & vobiscum, intra & extra mænia, arcium & ciuitatum periculosissimè, at prosperrimè decertantem, & hostium cuneos perfringentem? omnes eum & meritò diligitis, & meritò eius personæ, virtutibus ac meritis, impensè fauetis: & quis est autem, qui non solùm non gaudeat eo Palatino Pernauiensi; sed etiam summis opibus, quibus in omnes liberalis est, præditum esse optet? Et lætor ego

quidem

quidem, viro prudente, iusto, & industrio, Ioanne Abraamouicio, Palatino Smolenscensi & fortè si vult ipse Derpatensi, Capitaneo Vendensi. Eo sanè vos omnes, ita contentos esse video, vt nihil in eo desiderare videamini, nisi quod fortè metuere videamini, ne vobiscum residere non possit: virtutibus quidem est tantis, vt eum maior locus meritò expectare debeat: habetis Georgium Schenkingum, fratrem Episcopi germanum, Castellanum Venden: Oeconomum Derpaten: cuius virtutibus, quantum fidendum sit, ostendit noster Samoscius, regni summus Cancellarius, ac exercituum Dux, cùm ei neptem suam Samosciam vxorem daret. Habetis multos alios vestri vestrorumque commodorum amantes. De Mathia Lencone, viro egregio, forti, ac vigilante, Capitaneo Nouogrodien: & iam Castellano Derpatensi, ita omnes sentitis; vt de viro probo, ingenuo, de patria semper optimè meritò, vobisque apprime necessariò & salutari, sentiendum est. Habetis Berthramum Holtschurium, candidum & sincerum hominem, quod virũ nobilem



nobilem decet: Regis & regni studiosissimum, Succamerarium Derpatensem; id est finium regundorum præsidem, Capitaneum Cremonæ. Stanislaum Kossium, præstantem pietate, animo & virtute virum: similiter Succamerarium Vendensem, qui ita vobis omnibus Liuonibus est charus; vt in hoc Conuentu generali Liuoniæ, omnes nationes eum Marschalcum vobis magno studio vestro concordes habuêritis. Curtium etiam, Pernauien: Succamerarium, modestia, humanitate, virtute, & amore patriæ insignem virum. Andream Orzechouium, genere, moribus, ingenio, ac eruditione, præstantem virum: ac militem fortem, Capitaneum Laisensem, & præmiis maioribus dignum. Habetis Tisenhausios, Rosenios, Plettembergios, Denhouios, Brakelos, Taubios, Crausios, Corfios, Curselios, Patkelios, Bretleros, Vngeros, Caneuicios, Heuelios, Sturcios, Stakelbergios, Wrangelios, Grothusios, Drawenos, Offenburgios: & alios innumerabiles, tàm hîc, quàm in Estonia natos, degentes, ac possessionatos. Non desunt vobis, Mlodasij, Ostrouij,

F

uij, Iablonouij, Drohobisij, Pobiedzinscij, Golębiouij, Chibisij, Zeligowscij, Bialkouij, Bikouij, Fredrones, Ostromęcij, Gozdzielscij, Zdanouij, Lascouij, Chrzanouij, Geisteri, Dziatkouij, Lescinij, Mirzuinij, Rogozinscij: & alij non pauci milites, de patria hac præclarè meriti, & præmiis amplis dignissimi: è quibus delecti sunt, inprimis à Sereniss. Rege nostro, tùm à vobis libera facultate, vobis iam concessa: tùm à nobis autoritate Commissariali: tùm electi: tùm approbati Iudices, Subiudices, Notarij Terrestres: inter quos Venden: est Dauid Hilchen, Regius Secretarius, vir cum doctrina, ingenij, dotibus singularibus, cumulatiss. & qui vestrę huic Liuoniæ, quantum faueat, ac benè velit; abundè in ternis iam Comitiis Regni, atque in ea Commissione nostra demonstrauit. Item delecti Vexilliferi, Dapiferi, Subdapiferi, Pocillatores, Munitionum & Pontium Magistri: aliique Officiales more Reipub. nostræ. Quorum fide, studiis, virtute, concordia & animis, nixi Reges nostri, nixa Respub. tota, omnia, tuta comoda, & optata sibi pollicetur.

Atq;



Atque vt omnia hæc vobis diutissimè, salua & integra permaneant: videte, quæ capita, qui & quanti viri vobis, diuina quadam, vt aiunt virgula, ad hanc prouinciam obtigerint. Derpati enim præfectus est Samoscius ille noster, & Cancell: & summus regni Dux exercituum. Coconhausi Radiuilus Dux Bierzen: & Dubingi, Palatinus Vilnen: itidem Lituaniæ, summus exercituum Dux præstantissimus. Pernauię, Sapieha, Lituanię Cancellarius, Collega nunc nostræ huius Commissionis, optimus & prudentiss. Vendę Abramouicius, Palatinus Smolenscii. Rumburgii, Viesolouius Lituaniæ Marschalcus, omnibus virtutibus cumulatissimus. Felini, Curtius, Miles experientiæ plurimę. Duneburgi Taluosius optimi patris filius. Lucinæ Scarbeius, miles bonus, & antiquus. Segwoldi, Stadnicius Lanczhutensis, vir fortis, & patrię glorię studiosissimus. Alibi aliis cum laude præfectis, & ad omnes nutus suorum Ducum intentis. Habetis & amicos atque patronos vestri studiosissimos, Illustriss. Georgium Cardinalem Radziuilum, Episcopum Cracouiensem:

ensem: Illustriss. & Magnificum Nicolaum Firleium de Dambrouica, Palatinum Cracouiensem, qui apud vos gratã sui nominis & illustrem memoriam reliquerunt. Albertum Lascium Palatinum Siradien: Capitaneum Marieburgen: Suaneburgen: & Kirempensem, antiquum & exercitatum militem, ac copiarum ducem. Non efflu xit vobis è mentè & memoria vestra, Andreas ille Sapieha, qui primus Rege Stephano, ad Vendam non magnis copiis numerosum Moschorũ exercitum fudit, & felicem ac gloriosam vestris nationibus victoriã peperit, & prosperum omen, & augurium futurarum victoriarum dedit: is iam est Palatinus Polocen: Ii vobis ad omnem occasionem suis officiis sanè non deerunt. An etiam domi in Curlandia, & hìc Bertoldum Butlerum Curlandorum Principum exercitus Ducem, fortem & strenuum, Regibus Stephano, & Sigismundo III. ob egregia merita & virtutes carum & acceptum: non omnes magni facitis, vti meritò debetis? Quid Gothardus Ioannes Tisenhausius, Ioanne Bersonensi non impar? Ditleno





Orlensi percharus, familiæ suæ totius ornamentum, Regius aulicus? nonné ingenio, doctrina, modestia, indole, ita excellit; vt se breui magnũ in Repub. virum, fore polliceatur ac præseferat? Hæ sunt dotes, hæ gemmæ, hi vniones preciosi Liuoniæ: si plures similes Gothardo cernamus. Non possum præterire & amicos meos antiquos & fratres, Ioannem Tecnonem, I. V. Doctorem, Archidiaconum: & Georgium Sterbelium, Scholasticum Vendenses, etiã in Liuonia natos: quos ego & propter virtutem, & morum honestatem, & doctrinam singularem iam pridem diligo; vtpotè, quorum opera fideli, ante decimumseptimum annum, in cultu huius vineę dominicæ, post recuperatam Liuoniam, vsus eram: quorum etiam alter me in hanc prouinciam, tùm iussu Regio, tùm comprouincialiũ suorum, suisq; precibus mea Leopoli extraxit. Addo illis & meum delicatum Danielem Hermanum, virum eruditum & vena poëtica pollentem, & Regis Stephani gesta eleganti poëmate canentem. Date omnes veniam, non nimis adhuc senibus odio sunt Musę;

quæ gratæ fuêre iuuenibus. Quin & Olor moriens canit. Ad ſummam habetis, ô Liuones, omnem ordinem inſtitutum, omnia ad veſtrum decus, ſalutem & bonum præparata. Reſipiſcite iam cum aliis reſipiſcentibus: & grati dona Dei recognoſcite, cum multis recognoſcentibus, & dolentibus, & flentibus, quòd ad ſcholas olim dati non fuerint, quòd extra ſcholas ſtuduerint. Quas cùm iam habeatis, ſummo ſummi Dei & Regum veſtrorum beneficio: iis vtamini, fruamini, & ad omnem honeſtatem, vtilitatemque veſtram cedent: tùm domi in iure dicundo, tùm politia regenda, tùm ciuili ſocietate tuenda, tùm controuerſiis dirimendis, tùm foris in belli fortuna, tum in pacis bono & ornamentis, tùm in ſecundis, tùm in aduerſis, tùm in publicis, tùm in priuatis. Sic cùm paternæ meæ & beneuolæ admonitioni, ſuaſioni, & conſilio, parueritis, & tàm in illa priori, quàm hac poſteriori remedii parte, aſſenſum & cor adhibueritis, et Spiritui ſancto ad vos pulſanti non reſtiteritis; & nunc de vobiſipſis, & in poſterum de poſteritate veſtra

dilecta,



dilecta, optimè vos meritos eſſe experiemini. Voſque paruiſſe & obtemperaſſe, neque pigebit, neque dolebit vnquam. Quin ſecus omnia contrà. Valete, florete, & lætamini Domino, & pax domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum vobis omnibus, Amen.

## AD DOMINOS COLLEGAS SVOS.

ILLVSTRIS, MAGNIFICI, ET GENEROSI Domini, D. Leo Sapieha, Cancellarie Magni D. Lithuaniȩ: Georgi Schenkinge, Caſtellane Vendenſis: Mathia Leniek, Caſtellane Derpatēſis: Petre Oſtroui ab Oſtrouo: Bertrame Holtſchur, Succamerarie Derpatenſis: Ioannes Vilczek, Dauid Hilcken, Secretarii Regii, domini, amici, & Collegæ chariſſimi & honorandi.

POſtquàm Deo aſpirante, Commiſſionem hanc, ad finem tanquam ad portum aliquē adduximus: vt in appellendo nauem hanc ad littus, pariter ſudauimus: & vos Collegas meos, ſtrenuos & diligentes, cooperatores ſum expertus;

tus;

tus; ita etiam, quicquid mihi ſermonis ad incolas Liuoniæ, in ſupremo diſceſſu noſtro erat inſtituendum; id veſtro fauore & beneuolentia fieret. Vna mens, vna voluntas, fuit omnibus, vnum ſtudium; vt & huic prouinciæ & toti Reipub. ſatisfieri, & Liuoniæ afflictæ, & perturbatæ, res ex ataxia illa diuturna, in ordinem aliquem redigerentur, & quaſi redintegrarentur. Optaſſem ex animo & Magnificum D. Ioannem Zborouium, Caſtellanum Gneſnenſem, virum animo & belli gloria præſtantem, vnà cum G. D. Sbigneo Oſoſnicio, Succamerario Sendomirien: dotibus ingenii & corporis ornatiſs. & Io. Nieuieſcincium, quem non noui, Regium Secretarium, ſi valetudo vel negotia eorum tuliſſent, nobis adfuiſſe. Partitæ enim operæ, citius negotium delegatum conficere potuiſſent. Nunc ſic ſors cecidit, vt octonarius numerus, ſicut rebus inicium dederat: Quietis, inquam, numerus, quem Deus Opt. Max: huic terræ auſpicatum & ſalutarem velit eſſe. Et ſi quid adhuc ad ea, quæ ordinibus iſtius prouinciæ rogantibus & adiuuantibus, ſcita & inſtituta



inſtituta ſunt, vel ſciſci ac inſtitui, in hac rerum & temporum difficultate, potuerunt, deſit; ea ipſa, ſua authoritate, ſuppleat, approbet, emendet Sereniſsimus Rex noſter vnà cum Regni, & M. D. Lituaniꝫ Ordinibus: modò non deſimus ad finem. Noſtram operam, ſtudium, & conatum omnibus placere vellem: ſin minus, ſaltem iis, qui Deo fide ſumma, & Reipub. ex animo ſeruiunt & ſtudent. Vos chariſsimos Collegas meos, Deo omnipotenti commendo, Catholicis conſtantiam, Euangelicis veritatis agnitionem, & vnitatis ſtudium opto. Cum vera charitate ad vos veni, cum ea vobiſcum manſi, cum eadem à vobis diſcedo. Benè & feliciter valete. Deus det vobis omnibus, quod quiſque ſibi optat. Rigæ, menſis Septem. die 28. anno ſalutis, 1599.